

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0746

0744

0750

0740

0755

0735

0795

0695

0845

0645

0245

Ende

Anfang

173

enodare non est poenitentis speculatoris, siquidem similes transmutationes poetæ apud veteres referant suisse factas. Nam Perseus, Jovis et Danae filius, Atlantem regem, sibi dengantem hospitium, mutavit in lapidem. Pygmalion etiam, Cylicis filius, statuam marmoream prece mutavit in foeminam, et (quae) ejus usa concubitu mox concepit eique filium haeredem, Paphium, genuit, de quo plenius intra fol. 149 A. P. II. Sed et Niobam mutavit in lapidem. Et diversas bestias finxit antiquitas, quia multum fleverit, ut inducit Jeronymus in epitaphio Nepotiani. Et socii Diomedis in aves transformati; quod Varro conatur vere factum probare, ut August. dicit: sic et socii Ulyssis in bestias sunt mutati. Et Archades transnatantes lacum lupi fuerunt facti. Et Demutus quidam, cum gustasset de sacrificio Archadis, mutatus in lupum fuit, sed anno X. fuit in suam speciem reformatus. Augustinus etiam dicit de quodam Tito Praestantio, qui venenum in caseo summis et post hoc multis diebus dormivit, evigilans autem caballus factus fuit, foenum et avenam comedit, onera portavit. Idem Augustinus recitat, cum esset in Italia, de quibusdam mulieribus audivisse, quae viatoribus dabant in caseo diabolica machinamenta, per quae in jumenta converti videbantur. Ad haec possumus etiam vera et non solum ficta inducere. Recitatur in miraculis S. Jeronymi, quod haereticus quidam Sanctum incendio dignum fore dum diffamaret, in ligni speciem est mutatus, et subito cunctis cernentibus ignis coelitus cum invasit et eum totaliter combussit, et totus in cinerem est conversus. Sed an tales transmutationes fere siant, aut solum apparenter, disputationes theologorum vide, et lege de his in Pantheon Part. VII in chronica de Ulysse et Diomede.

De hoc tamen mirabamur, quare mulier propter respectum punita, et non Abraham, de quo tamen dicitur Genes. 19., quod mane consurgens stetit in montanis, et vidit flammarum sulphuream de Sodomis adscendentem. Ad quod dicendum, quod Abrahae non fuit prohibitum, ideo sine peccato respicere potuit; Melaseda autem, uxor Loth, ignem illum respicere fuit prohibita, quia erat ignis horribilis, et foemineae fragilitati intolerabile erat videre tantam stragem. Nec tamen credendum est, quod propter simplicem respectum fuisse tam

